

PLEROPHORIAM FALSI NOMINIS

feu

CONVICTIONEM
IMAGINARIAM

IN

SPIRITUALIBUS,

paradigmatically examinatum, discussam atque

reprobam dabunt

ALTDORFI d. 25. MAJ. MDCCVII.

disputaturi

PRÆSES

CHRISTOPHORUS SONN-
TAGIUS,

SS. THEOL. D. PROF. PRIMAR.

ET ANTISTES,

ET RESPONDENS

OH. GEORG. CHRISTOPH. WINCKLERUS,

Thüngenthal: Hala-Suevus.

oll. diss. A
4, 53

LITERIS JODOCI WILHELMI KOHLESII.

43.

a. CXII. 53.

Sächs.
Landes-
Bibl.



I. N. J.

§. I.

Non intelligimus in frontispicio, quod aperte fati-
edocemus, plerophoriam sive convictionem ves-
ri nominis, in utriusque Testamenti Scriptura
tantopere commendatam, qua credens in con-
scientia de certitudine earum rerum, quas credit, obfir-
matur & corroboratur. Nempe enim fides nostra est *ἰπό-
σασις καὶ ἔλεγχος* Hebr. XI, 1, h. e. immota basis & funda-
mentum; est indubium argumentum; est elenchus irre-
futabilis; & ipsummet DEI Verbum parrhesiæ hujus fi-
ducialis ac filialis principium tam cognoscendi, quam ope-
randi longe divinissimum merito audit. Ab hoc & Sacra-
mentis reflexa, quam Scholæ vocant, quamque directæ
opponere amant, fides etiam ipsa producit. Ab hoc Theo-
logia nostratis universa, quæ ex indole vocabulorum no-
titia Hebræorum non speculativa duntaxat, verum pra-
ctica potius, adeoque simul affectiva & effectiva est, depen-
det. Ab hoc divina fidei experientia, quotidianis pœni-
tentia exercitiis in nobis aucta, nutritur. Perceptibilis ni-
mirum est compunctio a lege excitata, Act. II, 27. Per-
ceptibile quoque gaudium, ab Evangelio profectum. Per-
ceptibilis convictio de precibus exauditis, 1. Joh. V, 14. Per-
ceptibilis tandem, quæ commendatur, patientia in cruce
& experientia, Rom. V, 4. quæ cum spe non confundente
combinatur, & agnitioni jungitur, Phil. I, 9. Unde Scholion

Lutheri ad 1. Joh. V, 5. Christi Blut / die Tauffe und
 der Heil. Geist bezeugen / bekennen und predigen das
 Evangelium für der Welt / und eines jeglichen Gewiss-
 sen / der da gläubet. Denn er fühlet / daß er durchs
 Wasser und Geist mit Christi Blut gerecht und selig
 wird. Hic utique *πρατικωτατ* ac verissimus noster
 Christianismus; hæc veritas in Christo; hic orationis, me-
 ditationis ac tentationis quotidiana *τὸ δεῶν* est. Quod si
 vel prægustus vitæ æternæ extraordinarius ac singularis uni
 alterive fidelium contingat, quem proxime a Verbo & Sa-
 cramentis proficisci non appareat; negari tamen laud pot-
 est, a Verbo & Sacramentis, unde fides pendet, nihilomi-
 nus eum suo modo pendere, scribente B. D. Bajero *Disp.*
de prægust. vit. æt. §. 66. Hanc, dicimus, convictionem,
 gratia tum assistente & operante (qualis *αὐτοκατακρησία* et-
 iam hominibus moraliter & dogmatice perversis per le-
 gem Dei incuti potest) tum inhabitante & cooperante ob-
 signatam, hic nos nolle intelligere. Verum nostra mens
 ad præcipitia & syrtes imaginariæ cujusdam plerophoriæ
 notandas maxime dirigitur. Fascino hunc miserrimum
 animæ statum æquiparat Apostolus, Gal. III, 1. Nani ut
 fascino corporali sensus; ita spiritali mentes corrumpun-
 tur. Estque fascino nihil aliud, quam *dementatio Dia-*
boli, inferentis incor opinionem falsam contra Chri-
stum; & fascinatus est, qui tali opinione captus est, do-
 cente B. Lutbero *Comm. ad Galat. cap. III, 1.* Breviter:
Omnis convictio, que circa τὰ τῷ Πνεύματι sive prævio DEI
Verbo animis insedit, imaginaria est. Nec plura tamen,
 aut ampliora in præsentis meditamus, quam *παράδειγμα*
τικῶς

modo, five uno & altero exemplo in medium allato, evincere convictionis ejusmodi præstigiatoriae, quam spirituales maxime esse nonnulli credunt, dum persuasionibus variis ac præconceptis opinionibus pascuntur, & voluntas depravata intellectui earundem approbationem tenacius imperat, vanitatem. Hanc ipsam non levioribus modo; sed & extantioribus in erroribus cerni constat. *Tanta enim est efficacia illusionis Satanae in illis, qui ita delusi sunt, ut jactent & jurent, se certissimam veritatem habere; tantum abest, ut fatzantur se errare. Et ut maxime obruamus & convinamus quosdam, præsertim sectarum autores, scripturis; tamen nihil efficimus, quia statim in promptu habent suas glossas, quibus Scripturas eludunt. Itaque monitis nostris non emendantur, sed plus indurescunt, dicente iterum Lutherol. c. ubi peculiari sub rubrica de fascino corporali & spiritali varia, eaque memorabilia, congescit.*

§. 2. Sane fruitionem DEI inchoativam non Verborum tantum & Sacramentis metiri, sed & ad immediatam quandam plerophoriam, convictionem & experientiam, tanquam ad comprincipium (ut ita loquar) reducere velle, est eorum, qui, nimium in rebus divinis intelligendo, faciunt, ut nihil intelligant. Eandem profecto cantilenam occinunt nobis Domini Romanenses, Protestantibus inter alia vel hoc objectare non dubitantes, quod haud aliam fere ob causam invocationem Sanctorum omnino isti rejiciant, quam ob hanc, quia scilicet nondum experti sint utilitatem colloquiorum cum Sanctis, necdum assuefacti sint iisdem colloquiis, quæ cum Sanctis in cælo regnantibus Catholici instituant indies, & his Sanctorum compellationi-

lationibus exemplo piorum Patrum defuncti, in anima penitius recreentur sua. Non expertus, ajunt, adeoque nec convictus, qualia scit? Hæc animæ pabula, has amœnitates ac delicias spirituales percipere, sentire ac degustare eos haud solere dicunt, quibus Sanctorum invocatio sordeat. Ecquis igitur, sensoria exercitata ex Verbo Dei adeptus, amabo, non videt, istiusmodi plerophoriam & convictionem esse commentitiam, imaginariam, ac Verbo & mandato Dei contrariantem? Quicquid enim sibi habeant persuasum isti Hagiolatæ, vanum id omne, & inane est. Similiter, qui hanc persuasionem habent, quod ex operibus legis, aut traditionum humanarum, justificentur, fascinati sunt. Ea enim persuasio directe contraria est fidei & Christo. Luth. l. c.

§.3. Paria judicaveris de prætenſa convictione & experientia nonnullorum Dominorum Reformatorum, qua absoluti Decreti sui ἀσφάλειαν, altas in animo radices agentem, probatum eunt. Idem super mirifica & incredibile conscientie tranquillitate, si artoclasiam in Cœna Domini retineant, eo, quod ipsemet Testator sanctissimus panem fregerit, impense gloriantur, & ad dulcem hujus tacite tranquillitatis sensum non raro provocant. Qua quidem opinione multorum glutinantur & conferruminantur animi, ad iaphoxiam Christianam in fictitiam quandam necessitatem commutatum eunt, & hunc eundem errorem in abolendo, abominando, ac detestando Exorcismo Baptismali errantes. Res utique hic non redit ad suam cujusque persuasionem, ad hypothesin privatam ac dominatam, ad quantamvis occupatorum ingeniorum convictionem,

ctionem, plerophoriam & experientiam; verum ad sententiarum ejusmodi cum Verbo Dei convenientiam & harmoniam. Quæ ubi deest, utcunque moderata forinsecus vita in foro poli nondum sufficit; nec ad extremum in agone potest, quin fallat, omnis experientiæ prætextus. Sed & *B. Lutherus* non de Anabaptistis modo, verum etiam de *Sacramentariis*, quos vocat, sui temporis affirmat, sese & *συνχεόνες* præpostere laborare contra fanaticas eorundem opiniones, ut illis captos liberent, eosdem ad puram fidei doctrinam revocent, ac in ea retineant. Nec (pergit) labor iste noster inanis est. Multos enim, quos isti fascinaverunt, revocavimus ac liberavimus à fascino illo suo, à quo viribus suis nunquam potuissent evolvi, nisi admoniti per nos, & revocati per Verbum DEI fuissent.

§. 4. Enimvero vel Unitarii affectatam hanc pietatis præxin jactitant, quæ ex asse respondeat suæ cujusque conscientia. Adversus hanc sentire, & regulam actuum ordinariam derelinquere sese non posse, causantur. Nec patrocínio multorum destituuntur, urgentium, ipsos non teneri credere id, quod credere non nisi per vires supernaturales queant. Has cum nondum superne acceperint, ad illud credendum eos convinci putant, in quo mens ipsorum unice recumbat. Quasi vero erroris invincibilis ac insuperabilis modo veniant arguendi, qui apertissimos ex Verbo Dei elenchos voluntarie repudiant, ac in illis agnoscendis tergiversantur. Siquidem abunde notum est, quorsum hos deduxerit a Verbo & voluntate Dei deflexa, & imis tamen medullis ipsorum impacta, firmissimeque defixa, perversi nominis plerophoria, non accersita ex unica norma & regula, secundum
quam

quam omnia dogmata omnesque Doctores aestimari & judicari oportet; verum ex rationis dictamine simul petita. Qualis, obsecro, hinc obfirmatio animorum expectabitur, ex corde hominis pravo & imperscrutabili profecta, dum ex hamisphario superiori Theologico minus exesse jubetur ratio, & usum in rebus sacris principalem nobis praestare existimatur? Etsi praeterea ambabus largimur manibus, Socinianum utrovis modo peccare, sive v. g. Deitatem Spiritus Sancti contra Verbum Dei neget, sive contra conscientiam erroneam affirmet; quandoquidem error vincibilis, & objectum, circa quod versatur hic tantus error, per se malum est: Recte tamen inficiatur ac repudiat *B. D. Reinbartus Hermer, Sacr. pag. 294. assertum. Dnr. Remonstrantium in Belgio Apol. fol. 289. b. quod nemo ad verum Verbi divini sensum sequendum obligetur contra conscientiam suam, si ea erronea sit.* Obligatur enim ante omnia per Verbum Dei, quod satis clarum & perspicuum est, ad errorem deponendum. *Conf. Venen. Mat. sol. Armin. a me impugnatum pag. 67. & Auctarium ejus p. 6. 7. Obligat, agente B. Balduino Cas. Consc. p. 19. conscientia erronea ad deponendum eam, vel ad deponendum errorem, non vinculo conscientiae hoc dictantis, quia creditur non erronea, sed vinculo divini praecepti.* Et paulo ante: *Etsi conscientia lex intellectus dicitur: non tamen est suprema lex; quia supra ipsam est lex alia, quam Deus in Verbo proposuit.*

§. 5. Neque aliud quid sibi volunt, neque ad alium pene collineant scopum iidem Arminiani, in Libertinismo quodam & Indifferentismo quaritantes supinam isthanc & praeposteram plerophoriam. Juxta hos optimus veritatis Judex atque arbiter est liber animus, & qui omnia
sine

sine præjudicio ad Scripturæ Sacræ & rectæ rationis normam amat expendere *Apol. fol. 287. b.* Cum his faciunt complures, veritatem adhuc in puteo latere arbitrati; necdum ex ullius religionis, ne Lutheranae quidem, partibus litem esse peroratam, quod ejus doctrina Verbo Dei ex aële respondeat, censentes. Abstraheneum itaque animum ab omnibus, etiam Lutheranis, dogmatibus, eademque in medio relinquenda putant, dummodo vita sit pia, & charitas erga Deum & proximum pro fundamento fidei retineatur. Sic obtineri posse autumat plerophoriam animi solidissimam. Sic in Deo solo recumbentem acquiescentiam, immobilemque consistentiam nobis superne donatum, sic domum nostram in petra ædificatum iri contendunt, si posthabitis doctrinalibus, utpote tantum non undiquaque ex eorum sententia controversi, disputabilibus ac dubitabilibus, sola moralia tueamur, & hinc ortam conscientiae tranquillitatem in charitate persequamur.

§. 6. Eandem, in proprio sinu exclusam, fetam & gestatam convictionem, eundem genii secretioris elenchum, eandem domesticæ & sub pectore latentis experientiae ἀστάρησαν Judæi crepant, imo ipsi etiam Muhammedani, suam idcirco sortem, suamque religionem & fidem Christianam multo beatiorem arbitrati. Quid malum! de Naturalistis eloquemur, quibus sufficientia luminis naturæ ad salutem probatur, & in abdita mentis convictione & acquiescentia ponitur? Quid de Latitudinariis, a nimia disciplinæ Ecclesiasticæ relaxatione, ac latius protensa ejusdem libertate in Anglia primum ita dictis, latamque Ethnicis & Judæis viam ad salutem pandentibus, neque solis

B

eam

eam Christianis relinquentibus propriam? Quid e contrario de Rigidistis? Quid de Præcisistis, quos nonnulli ajunt Deitatem quidem agnoscere; nec communi tamen, aut vulgari & proletario Christianorum cultu, neque aliter, quam prout rationi visum est, eandem velle prosequi ac venerari?

§. 7. Unusquisque horum suam venditat ἐμπειρίαν ἐνδομυχον, & perperam suam facit illud Apostoli, professus, *σεσέ-ιδίω νοι πληροφορεῖσθαι*, & provocans ad indubitatum intimi sui pectoris decisionem. Hanc allegat, tanquam Helenam, cui dicat: Tu mihi sola places; & in qua summum bonum, per se expetendum, & ab omni disputatione etiam Paulina remotum, esse constitutum autumet. Sed &, ob excœcationem mentis humanæ post lapsum, in ipsis Ethnicis supposititiam isthanc convictionem curæ palliativæ instar ad vulnus adhibitam fuisse, non mirabimur. Unde factum, ut Christianorum legem divinam Nonnemo veterum ψιλὴν παράταξιν; eorumque in religione constantiam Plinius in notissima illa ad Trajanum Epistola *pervicaciam & inflexibilem obstinationem* appellaret. Ita cœci videntibus cœcitatem, claudi rectis claudicationem exprobrarunt: Ita cœci γόητες Lynceos sibi oculos arrogarunt. Ita Φάσκοντες εἶηαι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Ita vel abolitionem cultus electitii in excelsis Senacheribus Hiskia per Rabfacem vitio verterat, & tanquam defectionem a vero Deo imputarat, Es. XXXVI, 7. Ita Evangelium de Christo crucifixo Judæis scandalum, Græcis stultitia est. Instar omnium expendere juvat Pythagoræ scita, quæ aliisque sapientiæ Magistri cum eodem habuere communia. Quanto opere sibi placuerunt Pythagoræi, tergeminam viæ
sua:

suæ purgativæ, illuminativæ & unitivæ experientiam de-
 ligentes? Instar omnium esto carmen aureum, Samio isti
 Seni vulgo vendicatum, ubi etiam καθαρμοὶ v. 67. ubi δειξις
 genialis & nativa, v. 62. 63. 64. quam ἐκμελέτησιν, εἰς ἔχνεα τῆς
 θεῖης ἀρετῆς θήσασαν, antehac v. 45. 46. concelebraverat;
 ubi tandem λύσις ψυχῆς insecutura ἔλευσις εἰς αἰθέρ' ἐλεύθερον
 deprædicatur: quo nomine per sacra Ethnicorum satis
 purgatus, & cardinalibus aliisque, in isto carmine præscri-
 ptis, virtutibus abunde illum inatus, homo eobeatitudinis
 sit perventurus, ut non maneat homo; verum Deus tan-
 dem immortalis, cum æternæ naturæ fonte, unde effluxe-
 rat, reduniendus, evadat. Adeo sapiebat palato, & quo-
 vis pane dulciario ciboque necessario salubrior videbatur
 fanatica & idololatræ ista purgationis, illuminationis at-
 que unionis sublimioris fruitio, ac tot chiliadibus con-
 sentientium hominum eruditorum comprobata perceptio,
 συγγεγυμνασμένη ἐγκαιράληψις, & infinitis pene elogiorum
 ampullis jactitata experientia, plerophoria & convictio.
 Conf. ea, quæ ex Plotino de virtutibus Politicis s. civilibus,
 nec non de iis, quæ competunt purgatis animis, & idea-
 libus sive exemplaribus Ethnicorum, attuli Centur. A-
 nimadv. in Fanat. vet. & nov. §. 10.

§. 8. Etsi ergo magni facimus experientiam & con-
 victionem, a demonstratione Spiritus ortam, & per Ver-
 bum Evangelii, tanquam potentissimum & Majestatem ple-
 nissimum Dei organum, in nobis excitatam & productam:
 Tamen cautio est, ne homines, ὑπερὸ γέγραπται sapien-
 do, id suæ ipsorum experientiæ tribuant, quod Verbo &
 Sacramentis tribuere debebant, & sic horum perfectioni
 ac sufficientiæ aliquid detrahatur: quæ tamen sunt or-

gana divinitus ordinata, quibus mediantibus in praxi pietatis quotidiana nobiscum agere vult, & ad quæ nos astrinxit DEus gloriosus. Cautio est, ne hoc quidem pacto cuivis Enthusiastæ, suam utcunque experientiam alleganti & incrustanti, fides habenda, aut ad summum venia danda, tolerantiaque indulgenda putetur. *Dn. D. Schelgwig. Synof. p. 53.* Cautio tandem est, ne vel bonæ mentes arripiant murem pro pistrini Domino, & experientiam isthanc atque perceptionem esse ipsammet immediatam & intuitivam Dei visionem, ad tempus obtingentem, imaginentur. *Experimentalis* (ait Georgius Keithus apud B. D. Bajerum l. c. §. 23.) *Et sensibilis Dei cognitio non sensibus externis, sed intimis Et spiritualibus obvia est, qua ipse DEus in Christo, Et ipse Christus in vita sua, luce, lumine, virtute Et Spiritu quam intime sentitur, videtur, auditur, Et quam suavissime supra omnem hominis naturalis conceptum gustatur.* Et p. p. annotat Keithus, duplicem esse rerum divinarum Et invisibilium cognitionem unam, quæ non per res ipsas, sed per signa rerum habeatur, quæ quidem sit abstractiva, remota Et media, adeoque admodum obscura; alteram, quæ non per rerum signa, sed per res ipsas, immediate perceptas, obtineatur; Et hanc esse intuitivam, proximam Et immediatam, adeoque longe præ altera illa præclarissimam Et jucundissimam. Adjicit, verba Et nomina totius Scripturæ non esse res ipsas divinas, si e Deum ipsum, nec Christum, nec ipsam lucem, vitam Et virtutem Dei proprie dictam, nec Spiritum Dei, nec amorem illum Dei, pacem Et gaudium Dei, nec justitiam Et sanctitatem, Et regnum Dei, si proprie Et absque figurâ loqui velimus. Existimat ergo, clariorem ac desiderabiliorem cognitionem eam Dei Et Christi esse, qua ipse Deus Et
 Cbri-

Christus in corde credentis videatur, audiatur, olfiat, sentiatur, tangatur, & intimis animæ medullis suavissimisque amplexibus apprehendatur.

§. 9. Provocat itaque Keithus ad experientiam multorum millium Sanctorum, affirmans, quod primitiæ, pignus & arrhabo talis (intuitivæ) cognitionis & beatitudinis Sanctis in vita (etiam hac) mortali communicentur. Imo ipsas internas operationes, inspirationes & illuminationes S. Spiritus argumenti loco citat, quæ dum adsint in cordibus fidelium sine aliquo externo monitore, aut signo verborum quorumcumque, evidentiam sibi ipsis faciant, certissimamque & clarissimam sui ipsarum cognitionem in animis eas possidentium ingenerent. Conf. Bajer, l. c. §. 27. & seqq. ubi Enthusiasmus hic Keithianus solide confutatur. Sed & Enthusiastæ priores Theologiæ Mysticæ sententias in eum traxere sensum, ut vitam contemplativam ad ipsam Dei visionem claram & beatificam, in hac vita obtinendam, referrent, ac homines Deiformes, quin Deificatos fore, pollicerentur, aut factos jactarent. Quam Schvvenckfeldio Weigelio-Hoburgianam hypothese[m] taxat Idem Coll. Doctr. Quaker. & Protest. cap. XX, Thej. III. Placet nobis modestia B. Gerhardi nostri, id, quod nondum apparuit, I. Joh. III, 3. sibi minime omnium tribuentis, qui in L. de Vit. ætern. §. 135. sic differit: *Cognitio Dei in hac vita, & visio Dei in futura vita, non tantum gradibus perfectionis, sed etiam specie differunt; quo etiam respicit Apostolus, quando 2. Cor. V, 7. per fidem & non per speciem nos ambulare asserit. Et p. p. Preterea Apostolus discrete asserit v. 10. Cum venerit, quod perfectum est; tunc, quod ex parte est, καταργηθήσεται, evacuabitur.*

bitur, destruetur, abolebitur. Jam vero cognitio perfecta, gradibus duntaxat differens ab imperfectiore cognitione, eandem proprie loquendo non abolet, non evacuat; sed potius perficit; sicut majus lumen minus non interimit; sed auget ac perficit. Quantumvis autem ex Nostratibus etiam B. Dav. Chytraeus doceat, non essentia & re ipsa, sed gradibus tantum & processu beatitudinem & notitiam Dei in hac & futura vita differre, L. de Mort, & Vit. etern, p. 176. & seq; Excusat tamen & explicat ipsum B. D. Bajer. l. c. utpote hoc solummodo indicantem, quod convenient illa conceptu non tantum generico, quoad conceptum notitiæ; sed etiam quoad objectum materiale, quod est DEUS, unde alias specificari actus putantur.

§. 10. Sed & negari nulla fronte potest, vel Davidica fide & pietate præditos in paroxysmo tentationum, haud emanentium, subinde dicere, sese ab oculis Dei esse abjectos, Ps. XXXI, 23. cum Patre lunatici fateri, fidem suam, si in foro DEI rigido examinetur, esse infidelitatem, Marc. IX, 24. seque adeo esse calamos conquassatos & lina fumigantia Es. XLII, 3. & a suo ipsorum corde damnari, 1. Joh. III, 20. Interim ipsis solatio est, quod Christus neminem ad se venientem propellat, Joh. VI, 37. Quæ pensiculatius trutinantes suffragamur verbis Dn. D. Val. Ernest. Löscheri, quæ *Theol. Myst. orthodoxæ* p. 893. consignat: In der Lehre vom Glauben giebt es gleichfalls allerhand in Acht zu nehmen; Insonderheit / daß die Mystici uns den Glauben also beschreiben / daß nach dieser Beschreibung wol die allerwenigsten Christen ihn haben möchten. Sie sagen / er sey eine lebendige / erleuchtende und erneurende Krafft im Herzen / dadurch man nicht

nicht allein Christum ergreiffe/sondern sich auch mit ihm vereinige. Das ist alles gut/wenn es von thätigem (sanctificante) Glauben verstanden wird/welcher die vornehmste Christliche Tugend ist. Wosern es aber von dem gerecht und seligmachenden Glauben (justificante fide) solte verstanden werden/wäre es eine Lehre/die zur Verzweiffelung vielen Menschen gereichen könnte. Denn wenn ein Angefochtener solche lebendige und ihn erneuernde/ja mit Christo vereinigende Krafft nicht fühlete/ob er gleich sein gläubiges Vertrauen auf Christum setzte/müßte er/als des wahren Glaubens beraubet/an seiner Seligkeit verzagen. Der wahre rechtfertigende Glaube muß allerdings nicht nur im Munde/sondern im Herzen seyn; aber die lebendige Thätigkeit/das Erneuren/das Vereinigen mit Christo (unio mystica) sind seine Früchte/die zu der Rechtfertigung auf keine Weise müssen gezogen werden. Hiernächst ist es auch gefährlich/das man noch außser- und über den Glauben ein anders Empfinden geistlicher Dinge sich einbildet/das viel höher und edler sey/da doch die Heil. Schrift solches Empfinden dem lebendigen Glauben (vivæ & sanctificanti fidei) zuschreibet/der da schmecket und siehet/wie freundlich der HErr ist. Quorsum faciunt verba Declar. Solid. Epit. Form. Conc. p. 672. De presentia, operatione & donis Spiritus S. non semper ex sensu (quomodo videlicet & quando in corde sentiuntur) judicari debet aut potest. Sed quia hac saepe multiplici infirmitate connecta sunt, ex promissione Verbi D E I certo statuere debemus, quod verbum D E I predicatum & auditum revera sit ministerium & organon Spiritus Sancti, per quod in cordibus nostris vere efficax est & operatur. Quod si quis infi-

inficias iuerit, ille mea quidem sententia Spiritus Sancti gemitus ἀλαλήτης sese eloqui & comprehendere posse, profiteatur, oportet. Interim haud est existimandum, quasi per hanc lipothymiam temporariam omnis fidei vita expiret. Quin colligimus nos denuo: Vincimus in Spiritu & veritate per Dominum, in quo habemus robur & fortitudinem. Πληροφροσύμεθα, per usum verbi & Sacramentorum legitimum assiduamque de perpetua Dei assistentia & favore, de conservatione in omnibus calamitatibus, de finali confirmatione roborati. Περεισμεθα de unione nostri cum Deo per internum Spiritus S. testimonium, quod externo mediatorum usui annexum est, & fidem vere divinam in nobis producit, eamque obsignat, Joh. III, 33. Stamus itaque in hac προσαγωγή fiduciali, dum Verbum sedulo auscultamus & meditamur, Rom. V, 2. quod fidei συγκραμένον sive contemperatum, & in amiciorem cum ea syncrasin perductum est. Imo & a posteriori ex bonis operibus, fidei effectibus, convincimur, nos in Deo manere, & Deum in nobis I. Joh. III, 6. 23. 24. IV, 12. 13. 16. nostramque vocationem & electionem firmam reddimus, 2. Petr. I, 10. Ut adeo inter certitudinem salutis ac perseverantiae in fide nullam, quae Pontificiorum est, & absolutam, quae nonnullorum Reformatorum est, Lutheranorum hypothetica, hoc est, a mediis divinitus ordinatis & recte usurpatis suspensa, certitudo naviget media.

S. II. Ob aber sie (die empfindliche Wirkung des Göttlichen Worts) Göttlich sey/muß das Urtheil nicht aus der blossen Empfindung/ sondern aus der erkann- ten Wahrheit kommen/ die das Gewissen überzeuget/ daß es warhafftig Gottes Wort sey/ was das Herz also

also

also empfindlich rühret / accurate docente *Dn. Büchero*
Platon. Myst. p. 182. Nec docendum vero, DEUM ipsam
occludere heterodoxis oculos, quo minus Prophetica
& Apostolica veritatem agnoscant, ut adeo errores et-
iam fundamentales, quos pertinaciter tuentur, & de quo-
rum veritate sese in conscientia convictos esse profitentur,
ipsorum saluti nihil quicquam noceant. Hoc nempe
principium omnino Syncretisticum foret. Pergit Büche-
rus l. c. p. 185. So aber der Mensch seinen eigenen Glau-
ben prüfen will / kan er abermahls auf die guten Wer-
de / als auf das sicherste Zeugniß / nicht bauen.
Es kan je der Teuffel einen Menschen / der ohne dem
einer melancholischen complexion und geneigt ist / mit ei-
tel hohen göttlichen Dingen umzugehen / dabey aber
Gottes Wort aus den Augen setzet / also verblenden /
daß er ihm bey seinem schwärmerischen und käserischen
Glauben dennoch opera supererogationis, und grössere
Heiligkeit einbildet / als ihm darzu Gott Gnade ver-
heissen; und dagegen die ihm anlebende Laster für kei-
ne Sünde hält / wie an denen Pharisäern / Gnosticis,
Widertäufern / und andern Irr-Geistern zu sehen.
Quod denique ad paroxysmos tentationum attinet, in
quibus ex defectu sensus fidei, anxia conscientia defectum
inexistentiæ fidei colligit, conferri potest egregia plane
Disquisitio B. D. Christ. Chemnitii de tentat. sens. & inexist.
fidei, ubi scrupulum isthunc, Glasiana præsertim perspicui-
tate usus, tentatis sufficienter eximit. Nec piget addere
Bücheriana illa l. c. p. 188. Ist demnach kein besserer
Rath / als daß man doch bekümmerte Gewissen aus
Gottes Wort unterrichte / die Ursachen solcher Un-
E
ru

ruhe aus dem Geseß zeige/ hernach die allgemeine Ewangelische Verheißung fürhalte / daß wir in Christo/ der unser wahrer und einziger Friede ist/ Eph. II, 14. Gottes Gnade / Vergebung der Sünden/ Gerechtigkeit und Seligkeit haben. Dieses/ und nichts anders/ kan unser Gewissen befriedigen/ und völlig überzeugen/ daß es aufhören muß uns zu verunruhigen. Der Friede Gottes muß unser Herz und Sinne bewahren in Christo Jesu/ Phil. IV, 7. Uno verbo : *Experientia & convictio, Verbo Dei non innixa, pestis est omnis veritatis & consolationis divinæ.*

§. 12. Quemadmodum insuper *Barclajus* apud eundem *B. D. Bajer.* l. c. cap. XI. Thes. I. existimat, renatos nullis Diaboli suggestionibus patere, utpote ab actuali peccato liberatos, & hoc respectu perfectos; imo eosdem in quinta petitione orare solummodo censet, ut peccata præterita sibi remittantur, & ut quotidie a peccato præserventur: Ita non immerito in censum eorum, qui inani spiritualitatis imaginariæ præjudicio occupati, a vera Deoque placente spiritualitate excidunt, revocaveris illos, quotquot autumant, sese, peccatis proæreticis indesinenter obluendo, etiam quænavos involuntarios concupiscentiis suæ carnis semper, hoc est, actu continuo, numerico & nunquam interrupto, posse resistere. Etsi enim renati, dum pugnant spiritu, dum dolent propter has sordes, quotidiana pœnitentia & fide viva vincunt carnem; tamen inde nullatenus sequitur, quod singulis momentis actuque continuo, speciali, numerico & nunquam interrupto carni resistent. Debent quidem & volunt resistere, lege Dei id poscente; verum illi resistentiæ sine intermissione vacare ac
fatis-

satisfacere κατ' ἀκμὴν & ex asse non possunt. Si enim nesciunt, quidē intelliguntve omnia sua peccata, Psal. XIX, 13. ecqui amabo, resistent semper, & quidem actu continuo, speciali & nunquam interrupto concupiscentiæ, ex qua illa involuntaria peccata æque, ac voluntaria, proveniunt? Ecqui vel possunt semper, id est, actu continuo & nunquam interrupto pergere isthanc a lege postulatam resistentiam, si plane nesciunt id, cui repugnandum est, lege per carnem infirmata? Quis intelligit peccata? Quis intelligit officium resistentiæ, semper, id est, actu continuo & nunquam interrupto exercendum, quod quidem certe si hac exerceretur cum perpetuitate, tum nulla infirmitatis aut ignorantia peccata in homine faceret reliqua. Optandum hoc; at in hac vel Pauli τῆ σαρκικῆ & cujusvis pii Christiani ταλαπωρία non sperandum videtur. Possibile est omnino peccatis resistere proæreticis; verum ἀπροαιρέτοις non item; quemadmodum viator τῷ πταίειν Jac. III, 2, sive cespitationi, quam penitus ignorat, resistere haudquaquam potest. Quicquid enim nihil tale cogitanti aut advertenti surrepit; id qui possit homo renatus non intermissa cum repugnantia præcavere aut supplantare, equidem non reperio; si vel millies sibi victoriam arroget, & ad convictionem propriæ conscientiaë provocare non cesseret. Quotidie multifariam peccamus, & nil nisi pœnam meremur, a jante Luthero in Catechesi minore. Ex his quotidianæ incurvationis peccatis multa admittunt fideles, quæ vel ignorant, vel non credunt esse peccata. Ecqui ergo iisdem sine fine resistent? Ecqui resistere pergant sine fine? Ecqui illud in interno conscientiaë foro sibi tribuant? Etsi præterea renati desiderium hujus conatus indefinente prece, si non effectiva, tamen affectiva, a Deo

C 2 impe-

impetrant, & per auxilia gratiæ in peccatis proæreticis de-
vitandis indies magis proficiunt; inde tamen non sequi-
tur, quod conatus peccata etiam ἀποαιρέτα jugulandi ac
pellundandi, qui illis omnino adest, & adesse debet, et-
iam sufficienter, etiam actu continuo & nunquam non il-
lis adsit. Conantur utique resistere cupiditatibus pravis, &
præcavent, ne consensus aut delectatio accedat; nec tamen
ita conantur, ut nullum omnino peccatum actuale, ne qui-
dem involuntarium, incurrere possint. Illud conamen si
omitterent, malitiæ esset; hoc si de se prædicarent, arro-
gantia. Velut autem conscientia tranquillitati magis con-
fert, si in pœnitentia stantium & renovatione quotidiana
insufficientem potius, quam sufficientem peccatorum om-
nium contritionem coram Patre misericordiarum nobis
tribuamus, dolendo propter hanc insufficientiam, & anxie
petendo, ut ea nobis condonetur propter Christum; Ita &
conscientiam, credo, magis tranquillam reddemus, si in
quotidiana debitorum nostrorum deprecatione coram o-
culis Dei confiteamur, deesse nobis continuum & haud in-
interruptum ἵψυχ εἰς νύκτα sive conatum sufficientem sine fine
resistendi cupiditatibus carnalibus; adeoque in hac ἀσχυρο-
πνευματικῆς μάχῃ id, quod in stadio pietatis sine hypocrisis de-
currendo, & bono certamine decertando, continuæ resisten-
tiæ deficit, & tamen ad victoriam obtinendam necessarium
est, propter Dominum nostrum JESUM CHRISTUM nobis
gratiose condonatum iri, in vera humilitate, Christiana
pietate & sena labis nostræ originariæ agnitione, detesta-
tione ac deploratione confidamus.

§. 13. Quid multa vero? Is nondum in hac quidem
lucta cum Paulo obrinuit victoriam, qui, utut sese primi-
tias

rias tantum spiritus habere, & vires gratiæ amissibiles esse noverit, convictione tamen & persuasione quadam imaginaria inductus, se, cum ratione intellectus ab errore omni, tum ratione voluntatis a perversitate omni immunem, omnibus pravæ concupiscentiæ motibus & incendiis malorum affectuum actu continuo & nunquam interrupto posse resistere, gloriatur. Refer huc *πεῦρον ψεύδος* Pietistarum, quod suo jam tempore observavit *B. D. Alberti Præfat. Vindictæ. Exeget. in Joëlem p. 15.* Neque vero est homo, qui peccet, asserente Regum Sapientissimo, *1. Reg. VIII, 46.* Conandum igitur, ut resistas mascule igniculis pravæ concupiscentiæ per quam non solum inferior vis appetendi, quæ ab appetitu sensitivo est; sed voluntatis etiam inclinatio in malū; quin & ipsius intellectus temeraria de rebus spiritualibus perverse judicandi pronitas, intelligitur. Ut illa adeo cogitationes etiam malas, subito exortas, complectatur. Unde & *Apologia A. C. art. II. p. 55.* inter alia Concupiscentiam intelligit eam, quæ quarit non solum voluptates corporis, sed etiam sapientiam & justitiam carnalem, & confidit his bonis, contemnens Deum. Quæ quidem cum *B. Museo* scite docuit *B. Bajerus Theol. Positivo, p. m. 497.* Allaborandum enixius, ut bonum hic athletam JESU CHRISTI agas. Corumpendus, enervandus, abolendus, regimineque omni exuendus homo exterior, ut interior renovetur de die in diem. Neque desinendum hoc in pulvere fatiscendum; sed quotidie specimen fortitudinis ac prudentiæ edendum Christianæ. Vetus Adam, hostis in sinu, prosternendus, & tanto impensius exanimandus venit, quanto præclarior virtutum Christianarum, quam intellectualium, quam moralium, ex fide emanantium Deoque placentium, ope Spiritus divini

vini a nobis acquisitus est habitus. Id, quod hic minus possibile est naturæ, possibile fiet gratiæ. Interim nobis illud haudquaquam promittere debebimus in hoc tam arduo & latissime patente renovationis exercitio, quod victoria nostra sit consummata, quod cursus absolutus, quod resistentia ex asse perfecta sit, quoad in carne habitamus. Quin imponemus nobismet ipsis, si, hostem non sentientes, cum eo non contendendum amplius, luctandum, confictandumve putaverimus. Periculosa certe hæc palma ex victoribus facile nos effecerit victos. Neq; enim victoria isthæc, quam regeniti indies adversum pravas inclinationes obtinent, dum actiones carnis spiritu mortificant, fomitem & inexistentiam peccati originalis tollit, ut ut reatum ac dominium ejusdem in nobis pessundet. Quotidianis precibus incrementa virium spiritualium a Deo veniunt exoranda, & accepta sine strepitu arrogantia spiritualis usurpanda. Qui stat, videat, ne cadat. Ille vero multum hic se profecisse noverit, qui magnam suam imbecillitatem in oculis Jesu Christi indies magis agnoverit. Vincimus quidem certe labem originariam cum pravis suis cupiditatibus; non tamen ita vincimus, ut non sit; verum tantummodo, ut non imputetur, neque dominetur. Inchoata duntaxat hæc est victoria; non consummata. Ut maxime enim tentationibus ejusmodi Satanæ, mundi & carnis nostræ sollicitemur; ingemiscimus tamen in sextor. Dom. petitione, explicante Luthero, ut **TANDEM** vincamus ac triumphemus. Quod si nihil nobis conscii sumus; nec in hoc tamen justificamur. Tripudiamus tamen subinde, & erigimur, intercessione Mediatoris Sanctique

que

que Spiritus suffulti. Gliscit ergo fides in hac assidua nostrarum infirmitatum agnitione æque, ac in virium spiritualium exercitio non interrupto gliscit. Sicque adeo recalcitrans subinde vetus noster Adamus perpetuo legis divinæ magisterio habet opus; sic necesse est, ut contumax & indomitum istud animal, quantumvis non ἐνυπαρξενος, affectati tamen dominii ratione, indies magis ac magis coerceatur, compescatur, debilitetur, infirmetur, imo sugilletur, crucifigatur, mortificetur ac omnino sepeliatur. Eminentiores hæ sunt Metaphoræ, & plus realitatis in recessu habent, quam vulgus hypocritarum existimat. Nemo hic sibi observantiam legis perfectam (perfectione graduum ac perseverantiæ talem) attribuit, nec ante tubam canito victoriam, exasse impetratam. Cum timore & tremore salutem operemur. Lapsus majorum sit terror minorum. *Qui mortuus est, ille demum a peccato est liberatus.* Siquidem, *B. Scherzero nostro System. pag. 549. auream isthanc Pauli gnomen, Rom. VI, 7. venuste explicante, mors piorum est liberatio a labe adhærentis peccati, insidiis Diaboli, scandalis mundi, omnibusque hujus vitæ periculis ac miseriis. Eadem mors est materia agonis ac victoriæ, Apoc. II, 10.*

§. 14. Sic itaque plerophoria falsi nominis, sive convictio imaginaria in spiritualibus, nescio quo illapsu, quave ex sedibus æthereis promicante irradiatione in animo producta, suis omnino gradibus distincta, jamque levior, jam enormior, convictioni vere divinæ, per ordinaria media excitatæ, opposita, paradigmaticæ, hoc est, exemplis quorundam Pontificiorum, Reformatorum, Socinianorum, Arminianorum, Judæorum, Muhammedanorum, Naturalistarum, Latitudinariorum, Rigidistarum, Præcisistarum, Deistarum,

istarum, Gentilium; imo & Quakerorum, nominatim Kei-
 thi, aliorumque Enthusiatarum, in praesenti reprehensa, no-
 tata & taxata esto. Horum τὴν φεσσανάτισιν, horum paralo-
 gismos & errores, quibus, praepostera ejusmodi convictio-
 ne & persuasione lactati, pertinaciter indulgent, nec non
 alios quosvis, latissime patentes, cum praeviderit Spiritus
 Sanctus; eosdem in Scriptura (ad redargutionem adequate
 utili, & cujus virtuti ac perfectioni elencticae nihil addi pot-
 est) abundantissime confutavit. Sed & Ministerio orthodoxo
 confutationem eorundem aequae, ac informationem, adhorta-
 tionem, dehortationem & consolationem auditorum, idem ille
 injunxit. Nam ut impossibile est, ut homo sese expediat ex
 fascino sensuum; Ita impossibile est, ut fascinati in spiritu
 se viribus suis evolvere possint, nisi explicentur ab iis, quo-
 rum mentes isto fascino non sunt captae. *Lutb. Comment.
 cit. ad Galat. fol. 63. b.* Ut igitur vel aliquos saltem lucremur
 errabundos, vel confirmemus recte animatos; ad opus bo-
 num perfecte instruamur, oportet, hoc praesertim tempo-
 re, quo spiritum vertiginis palantem cernimus. Nimirum
 is, convictione vere divina posthabita, dubitat, ambigit, haes-
 litat, disputat ac disquirat, num articuli fidei fundamentales
 sint, quando docetur, *solum Christi meritum exclusis omnibus,
 vel nostris, vel Sanctorum meritis salvare; solum Deum verum
 exclusis omnibus Sanctis suppliciter ac religiose esse invocan-
 dum; solum Dei verbum exclusis traditionibus esse regulam fi-
 dei; nos debere esse certos de gratia Dei, remissione peccato-
 rum & salute aeterna, infallibili Spiritus Sancti testimonio per
 ministerium Verbi & Sacramentorum in cordibus nostris son-
 nante, &c. &c. &c.* Ad nos si rediens, haec, sancte Luthere,
 videres, ecquid diceres, amabo? Quales non super fascino
 spirituali querelas agitares? Etiam hic ὁ ἡσικὶς ἰγχοῦν ἡ Ἰησ-
 πρῶ.

προκοπῆς τῆς ἐν πνεύματι. Nec reperio, qui in animo, his tantis erroribus obli-
to, & de illorum propagatione aliorumque se-
ductione pertinaciter cogitante, divina convictio, veraque
adeo regeneratio, sanctificatiove subsidat. Profiteor me oso-
rem omnigenæ impietatis; tantum ab eo absun, ut ejusdem
patrocinium ullo modo in me suscipiam. Sed convictionem
ejusmodi, Verbo Dei manifeste contrariantem, & cum ob-
stinata perseverantia, errorum defensione, ac veritatis divi-
næ impugnatione conjunctam per conscientiam cum vera
pietate conciliare non possum. Proin magis comperior &
magis veritatem notissimæ sententiæ *Lutheri Art. Schm. p.*
m. 33: Entusiasmus insitus est Adamo & filiis ejus a primo lapsu
usque ad finem mundi, ab antiquo Dracone ipsis veneno quodam
implantatus & infusus, estque omnium heresum & Papatus, &
Mahometismi origo, vis, vita & potentia. Proin mihi, per com-
pendium hic eunti, & uno alterove exemplo complurium
ideam figuranti, clausulæ instar lubet tergemina subnecte-
re cautionem, qua dexterius observata, ingenium ad istos
sinistræ convictionis anfractus remigare, nodosve indisso-
lubiles sibimet ipsi nectere vel desvescat, vel omnino non
asuescat.

§. 15. Cavendum nempe I.) NE ANIMO FIXA IM-
MOTAQUE SEDEAT FALLAX ORATIO, qua lectio-
nem & auditum Verbi antevertimus, neve præjudiciorum
magis nostrorum, Verbo DEI adversantium, quibus non-
dum evacuati sumus, comprobationem, confirmationem
& corroborationem, quam dextrum & salutarem verbi u-
sum animæque ædificationem a Spiritu Sancto petamus.
Ejusmodi oratio non modo non tollit errorem, sed & ipsa
est erronea; nec modo non tollit peccatum, sed & ipsa
fit peccatum, fit ἐθελοθρησκεία, fit profanatio Nominis di-
vini.

D

vini.

vini. Sæpe enim Zelus præposterus, cæcus amor sui ipsius, odium divinæ veritatis, & pertinax semel receptæ sententiæ defendendæ cupiditas, aliive affectus, quibus animi obruuntur, aut ad orandum exuscitant, aut orationem comitantur, ipsomet Satana, animarū deceptore. sese in Angelum lucis transformante. Aliter David; qui, Testimonia Domini lecturus, a falsa via petiit averti, Ps. CXIX, 29. & a Domino ipso doceri v. 34. Oretur itaque tanto inflammatus, ut imaginaria ista convictio a nobis absit longissime, & ab errantibus omnibus tollatur, ceu fascinum corporale ab oculis parentum per precessionem S. Macarii tollebatur. *Ad S. Macarium* (ait Lutherus l. c.) *habitantem in deserto, venerunt parentes cujusdam virginis, quam amiserant, sic tamen, ut putarent, eam in vaccam esse conversam; Quia non poterant eam, quam vacca, formam videre. Adducentes igitur filiam ad S. Macarium, rogabant, orationem ab ipso ad Deum fieri pro ea, ut restitueretur ei humana forma. Hoc audiens Macarius inquit: Virginem video, non vaccam. Habebat oculos spirituales; ideo Satanas non poterat eum suis præstigiis fallere, ut parentes & filiam, quorum oculis sic illuserat spiritus nequam, ut jurassent vere hoc geri, quod ipsis fascinatis ob oculos versabatur. Orante autem S. Macario pro virgine, non ut humanam speciem, quam nunquam amiserat, reciperet, sed ut Deus hanc illusionem Diaboli ab ea auferret, aperti sunt oculi parentum & filie, cognoveruntque hoc totum, quod ipsis videbatur serio geri, merum ludibrium Satanae fuisse.* Notabilis hinc est commune factio Lutheri super fascino spirituali; quod invocandus sit Christus Dominus, ne sinat nos induci in tentationem. Cum enim Diabolus,

mille

mille nocendi artes habens, tam apertum & pudendum mendacium ita imprimere cordi possit, ut millies jures esse certissimam veritatem, non est superbiendum; sed incedendum in timore & humilitate. Vid. Dn. *Bücherum* de fascino Galatarum 1. Piet. Mens. pag. 59. *Tu contra ne dicas: Ego perfectus sum* (ita pergit Lutherus) *non possum labi; sed humiliare, & time, ne hodie stans, cras cadas. Ego Doctor Theologiae sum, & jam aliquot annis Christum predicavi, & contra Diabolum in suis Pseudodoctoribus pugnavi. Expertus sum, quid ista res mihi negotii fecerit. Non possum Satanam ita repellere, ut libenter vellem. Non possum denique Christum sic apprehendere, ut eum mihi Scriptura proponit. Sed subinde suggerit mihi Diabolus falsum Christum. Deo gratia autem, qui nos conservat in Verbo, fide & oratione.*

§. 16. Cavendum II.) NE ANIMO FIXA IMMOTAQUE SEDEAT FALLAX MEDITATIO. Depurata sit illa & defecata a commentis ingenii proprii, præjudiciis nostris, subinde aliquid prurientibus, ne conceptus e Scriptura S. haustus pro omnimodo humanis, & contra sine diacrisi Spiritus conceptus, præter intentionem Spiritus Sancti in nobis ortos, pro divinis habeamus. Posterior vitium sinuosæ aspidis instar facile surrepit, si defectus, antea notatus, orationi adhæserit. Etenim quod veteri Adamo arridet, carnalissimum quodque judicium summam quamque mentiri potest spiritualitatem. Prius autem τὸ ἔγκλημα multis imponit, dum non sine octavi præcepti læsione piorum etiam conceptus, per Verbum in animis eorundem generatos, & gratia Spiritus Sancti inhabitante obsignatos, eo, quod suis non ubique rationibus consonent, mere humanos opinantur & proclamant.

Imo quando & impiorū, in Christi tamen nomine Scripturas interpretantium, conceptus, e Verbo Dei productos, nonnulli inere humanos vocitant; tum vero signate Dn. D. Fechtius in Disp. de Christo in nobis, Dippelio aliisque Fanaticis opposita, p. 10. scribit: *Conceptus ex Scriptura S. hausti, iique etiam nudi, eatenus quidem humani sunt, seu humanum quid patiuntur, dum eis deest edificatio, ob quam tamen in intellectu concipiuntur; non tamen ideo omnimodo humani sunt.* **SUNT ENIM PER VIRTUTEM DIVINAM A DEO IN INTELLECTU PER VERBUM EFFECTI, HUNC IPSUM IN FINEM, UT HOMINI SALUTEM CONCILIENT.** *Quanquam vero sine suo ob deficientem applicationem actu ipso destituantur; EX INTENTIONE tamen DEI, TANQUAM VERUM INSTRUMENTUM ET MEDIUM CAUSALE, SALUTEM PRODUCERE DEBERENT.* Et paulo post pag. 11: *Ipsē Christus in nobis, b. e. per unionem mysticam nobis inhabitans, nihil in nobis agit sine Verbo externo & conceptibus cerebri humani. Non enim tantum extra nos agit per verbum, ut nos convertat & regeneret; sed & quando regenerati sumus, aut, si juxta orthodoxos etiam Theologos orthodoxo sensu loqui velimus, quando jam natus & formatus est in nobis, non crescit, neque vivit in nobis, nisi per conceptus mentis, ex Verbo haustos; non moritur, neque resurgit sine illis. Cum igitur conceptus mentis vel (ut illi de his a Deo per supernaturalem gratiam, quippe ad finem supernaturalem, effectis donis atque muneribus contemptim loquuntur) cerebri humani tantis sint in oculis divinis pretii, ut illi Christum, tanquam vehiculum quoddam, in nos vel intromittant, vel ad intromittendum a Deo destinati sint, & sine his Christus ad nos venire*
non

non possit, cumque sine iis nec quicquam Deus in nobis opere-
tur, vel operari velit, sed omnia agat per conceptus istos, tan-
quam divinitatis suae nuntios & ministros; cur tam scabiose
de conceptibus istis loquimur, es seyn Meinungen / es
seyn Hirn-concepten / es seyn Buchstaben / da doch
GOTT ohne dieselbe Hirn-concepte / weder außer
dem Menschen / noch in dem Menschen / nicht das ge-
ringste / sondern alles durch dieselbe, als durch seine /
durch den Heil. Geist in dem Worte Gottes geheilig-
te / Werkzeuge / handeln will? Facessant istiusmodi
perabiblicæ de conceptibus biblicis conceptus! Facessant
nihil ofecius autem & exulent a meditatione biblica qua-
vis heterodoxæ & malignæ mentis agitationes! Sic enim
non supinam, sed genuinam, subactam atque verecundam
in spiritualibus experientiam nanciscemur. Sic convivi-
am mysticum Apoc. III, 20. in dies magis ac magis degustabi-
mus, famemque & sitim justitiæ vere divinæ a fanatica secer-
nentes, exaturabimur jucundissima omnium convi-
ctione.

§. 17. Cavendum III.) NE ANIMO FIXA IM-
MOTAQUE SEDEAT, EUMVE DE GRADU DEJICI-
AT FALLAX TENTATIO. Frustra nimirum is, qui
mentem Christi non habet, si eo nomine ex Verbo Dei
redarguitur, & post unam & alteram admonitionem ma-
net ἀθεγάμευ, de injuria sibi facta queritur. Frustra so-
lidam erroris sui confutationem imaginaria mentis propriæ
convictione, seu mavis, inani deceptione elidere conatur.
Frustra dicit: Hæc est mea hæresis: Mundus regitur opi-
nionibus. Præsertim in argumento elenctio exuperan-
tur tentationes, apprehenso & dextre adhibito gladio
D 3 Spi-

Spiritus, qui est Verbum Dei. Enimvero tentatio est, multorum ictibus obtrusa, quæ ab imprudentioribus tantum non invicta prædicatur, unicam videlicet illam normam & regulam tum credendorum, tum faciendorum, Verbum Dei ab omnibus religionibus Christianis per juratoriam convictionem prætexi. Quasi vero conscientia erronea convictio super re per se mala foret sequenda. Nimirum Deus in Verbo suo determinavit sententiam, cui dicendum: Tu mihi sola places. Tentatio est, charitatem Christianam omnes religiones coadunare posse. Quasi vero charitas sive amor erga Deum religiones heterodoxas jubeat pronunciare orthodoxas; aut quasi charitas sive amor erga proximum exigat, ut mendacium non mendacium, sed veritatem appellemus. Ultroque pacto convictio gignitur absurda. Tentatio Coccejana est, per vocabulorum biblicorum polysemiam tolli omnem, quæ a Scriptura S. expectatur, plerophoriam, illis nempe ubique locorum significantibus id, quod significare possunt. Huic tentationi cum multi multa reposuerint, & nos alibi pro virili nostra occurrere studuerimus, placet in præsentem verba B. Præceptoris nostri *D. Musxi* iisdem signaculi in vicem appendere, quæ habet in Tractatu, contra *Matth. Knuzium de Secta Conscientiariorum* emissio pag. 106: *Ge-
setz / es hätte manch Wort in der Bibel so vielerley
Bedeutungen / so folget doch daraus nicht / daß nichts
gewisses aus der Bibel könne geschlossen werden. Dann
entweder die vielerley Bedeutungen sind solcher Ge-
stalt klar und deutlich in der Schrift enthalten / daß
jegliche aus dem context und andern Umständen der lo-
corum Scripturæ gewiß kan erkannt und geschlossen
wer.*

werden; oder sie sind nicht solcher Gestalt klar und deutlich darinn enthalten. Sagt der Gewissener das andere / so ist nicht wahr / oder doch nicht erweislich / daß ein Wort in der Bibel so vielerley Bedeutungen habe. Bejahet er das erste / so giebt er zu / daß die Heil. Schrift auch an denen Orten und Stellen / worinn solche vieldeutige Worte begriffen sind / helle und klar sey / und etwas gewisses daraus könne geschlossen werden. Und ist hierzu genug / daß aus denen circumstantiis textus, in welcher Bedeutung solche Wörter an jeglichen Ort gebraucht werden / helle und klar ist / sonderlich / wo von nöthiger Glaubens- und Lebens- Lehre gehandelt wird. Tentatio tandem est, cum spuria, de qua adhuc egimus, plerophoria secundum magis & minus variet, si per initia levioris momenti v. g. circa articulos fidei præterfundamentales & circumfundamentales, ea sese animis insinuare videatur. Verum in timore Domini pensitandum, & ad amissim Verbi divini, indies attentius considerati, dispiciendum est, num ista supposititiæ convictionis initia revera sint leviora. Quicquid enim in lectione Scripturæ assumitur, ceu divinitus præscriptum, quod tamen in rei veritate tale non est; illud periculose assumitur. Exigui certe miasmatis illapsus, ab externo ambiente factus, totum inficit conclave. Etiam ὁ λόγος Hymenæi & Phileti, quantumvis tortilis & ambidexter, gangrænæ instar serpebat 2. Tim. II, 17, 18. Vitium primæ concoctionis ecqui in secunda aut tertia corrigetur? Sic igitur ex hac quoque tentatione eluctature, Principiis obsta; sero medicina paratur, cum mala per longas, invaluere moras,

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.

Coll. diss. A. 114, misc. 53